Fragmentarium

quę ei placita ſunt ſubdens, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſemper .i. placent
mihi; Tua inquid .i. quę penes te habes, & in conſpectu ſuo .i. in promtu ne cre
pverint exterius; hec autem ſunt laudes & vera confeſſio nominis mei, De his ali
bi pſalmiſta; In me ſunt deus uota tua; & cetera. Non accipiam de domo tua uitulos; Per uitu
los & hircos omnium animantium ſacrificia accipe; Non inquit iam placebit mi
hi ullum tale ſacrificium de domo tua .i. de ſacerdotali familia; Quidam allegori
zant hunc uerſum (locum): Per uitulos leues & inſtabiles accipientes qui per campos huius ui
tę effrenate & abſque ullius diſciplinę iugo laſciuiunt; Per hircos uero petulan
tes .i. luxuriantes (oſos) & peccatis ſolidos intellegentes qui nequaquam admittuntur
in ſacrificio dei niſi agni & oues effecti fuerint; Quoniam meę ſunt omnes ferę ſiluarum .i.
& cetera ea quę tu habere non potes mihi famulantur & ſubdita ſunt; Sed & hoc nihilominus
allegorizant alii; Per iumenta ſimplices & minus doctos accipientes quę ſunt in
montibus; accipientes .i. in ſublimi conuerſatione uirtutum conſtitutos; Boues uero
dicunt ſignificare perfectiores ſanctos ſcilicet doctores & predicatores qui terram hu
manorum cordium ligone excarant predicationis; Ferasque quoque ſiluarum rugientes idolatrię
erroribus implicatas intellegunt; Seruiunt enim huiuſmodi ligno & lapidi
& beſtialiter omnia agunt feritate; Si eſuriero non dicam tibi. Deus numquam ullius
temporalis cibi inedia paſſus eſt; Sed eſurire dicitur angelica contemplacione pura
& ſinceram hominum fidem; Unde ipſe in euuangelio. Meus cibus eſt ut faciam uolun
tatem patris mei qui in celis eſt; Numquid manducabo carnes taurorum aut
ſanguinem hircorum potabo. non inquit indigeo ſacrificia talia expetere. ut eis
explear & reficiar; Immola deo ſacrificium laudis, Reprobato legali laudis ſcilicet
& recte confeſſionis. redde inquit altiſſimo uota tua; Tua uidelicet .i. ea quę pe
nes te habes. & cum hec omnia feceris. inuoca me in die tribulationis .i. in tempore
cuiuſcumque afflictionis, & eruam te. preſſum calamitatibus & miſeria. & honorifi
cabis me. ſub laude tua. Illum quippe laus domini honorat qui e bonorum operum
holocauſta immolat; At hi ſunt qui ore dominum confitentur. ſed factis negant

License: cc-by-nc-sa – Lyon, Bibliothèque municipale, 788 (olim 706), LyonBM788_079_43R – Fragments of manuscripts from Lyon's cathedral library (https://fragmentarium.ms/view/page/F-u6r6/337/4931)